



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Gallinago.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

rent, vel saltem emollirent: cum enim flare institerunt, vitium oculos exurunt, spemque vindemiæ fallunt. Moniti igitur ab aruspibus, sacri genus hoc instituere, ut viri duo Gallum unum, & eum album manu uterque sua apprehenderent, & in diversa abeuntes trahendo discerperent, partemque uterque suam manu præferentes vineta loci omnia perlustrarent, donec ita omnibus expiatis in eundem convenirent locum, ubi Gallum difsecuissent, ibique partibus utriusque humi defossis, nullum ejus anni incommodum se passuros persuasum habebant: juvitque fors, ut quamdiu sacrum id celebravere, res illis ex voto succederet. Quid vero sit in caula, cur tanta vigeat in Gallo vis,



*Ut nequeant rabidi contra constare Leones,  
Inque tueri, ita continuo meminere fugai,*

*Proclus in  
lib. de Ma  
gia.*

nemque cum utrumque animal solare sit, ex magorum observatione inesse majorem solaris virtutis Gallo, quam Leoni: idcirco Leonem potentiori cedere, fatis superque in Leonis commentario disputatum à nobis, Proclique super hoc opinio recitata.

IMPIETAS. CAP. XXVII.

**N**equè prætereundum est illud, quod ex imagine Gallinæ impietas ipsa hieroglyphice figuratur: is enim matrem salit, ut hippopotamus, & patrem etiam immaniter incessit, eaque de causa sapientissimi Legumlatores Gallum una cum Vipera, & Cane, in parricidæ culeum includendum censuerunt, ut qui ejusdem criminis rei sunt, eodem supplicio simul afficerentur, & penas partes luerent. Notum illud apud Aristophanem, quod Philippides, qui patrem verberaverat, exemplo Galli factum tuetur suum: patrem enim ille male multat.

DE GALLINAGINE. CAP. XXVIII.

**A**ttrahit ad se nominis similitudo, ut Gallinaginem huic adnumeremus gregi, quamvis super ea nihil Ægyptii.

BENEVOLUS. CAP. XXIX.

**S**unt qui benevolum hominem per Ascolopaca, quam Gallinaginem Latini vocant, picam intelligant, quod avium nullam majore erga hominem studio affici compertum sit. Magnitudo vero lucri, quanta Gallinæ est, rostrum longum: attagenæ color.

DE ANSERE. CAP. XXX.

**S**ed ut ad cohortales redeamus, de Anserè dicendum: de qua tamen nulla apud Horum mentio: quamvis libellus ille, qui superest, valde curtus sit.

CUSTODIA. CAP. XXXI.

*Plin. idem  
lib. 10. c. 22.*

**S**unt qui per Anserem picum custodiam interpretentur, idque ex Romana potius historia desumptum, quam ab Ægyptiis traditum. Neque tamen ab hujusmodi significato physica abest ratio: quippe qui naturæ admodum pavida cum sit, pervigili cura, ut acutissimus est ad ea sentienda, quæ latent, facile excitatur: & minimo quoque strepitu expergiscitur, ut ita olim Urbem ipsam sedem ac domiciliū Imperii, defenderit ac conservarit: unde illi honores apud Romanos instituti: quam Heliogabalus totius humani ordinis inversor, omniumque bonorum morum illusor, eos ita fit ultus, ut Canes jecinoribus Anserum pascendos instituerit. Illud vero juniorum commentum est, per Anserem alligatum ad anchoram, firmam custodiam intelligere. Anchora porro firmitudinis indicium est, ut loco suo dictum.

SILEN-